

**D. GEORG. CHRISTOPH. PETRI**

ab *Hartenfels* /

CONSILIARII ET ARCHIATRI MO-  
GUNTINI &c. &c.

**ELEPHANTOGR-  
PHIA CURIOSA,**

*EDITIO ALTERA AUCTIONIOR ET EMENDATIOR, CUM MULTIS FIGURIS AENEIS,  
CUI ACCESSIT*

**EJUSDEM AUCTO-**

**RIS ORATIO PANEGYRICA DE ELE-**  
**PHANTIS, PUBLICE IN ACTU DOCTORALI**  
**ERFORDIÆ HABITA;**  
**NEC NON**

**JUSTI LIPSII EPISTOLA DE**  
**EODEM ARGUMENTO ERUDITE**  
**CONSCRIPTA:**

**IN FINE ADJECTUS EST INDEX RERUM NO-**  
**TABILIVM LOCUPLETISSIMUS.**

---

*LIPSIAE & ERFORDIÆ,*  
Typis & impensis JOH. MICH. FUNCKII,  
M DCC XXIII.

ex Sacra Scriptura, quæ dicit Hiob. 40. v. 10. in oculis ejus quasi homo capiet eum, & in funibus perforabit nares ejus, hoc est: etsi hæc bestia est vastissima, nihilominus tamen DEUS eam mansuefecit, & hominis imperio subdidit: 2. quod capti Elephanti citissime cicurantur. Vid. W. Frantzii *histor. an. part. 1. c. 4. p. 25.* Quando autem in furorem aguntur, quod interdum contingere solet, non sine periculo cum Elephantis conversantur illi, qui stipem eis porrigunt: inde natum est proverbium: Elephanto stipem porrigere, id est, rem periculofam

aggredi: ad quod alludit Georg. Braun. in *Civitat. Orbis Terrarum tom. 1. de subditis Regis Calecutensis* ita scribens: ad Regem propius quis non accedit, quam ad tres vel quatuor passus: cum verò aliquid porrigunt, ac si stipem darent Elephanto, ab ipsis tremebundis id ramò porrigitur, quoniam Regem tangere apud eos nefas dicitur, & capitale est.

Anteriore corporis parte Mares, posteriore verò femellas robustiores esse Aristoteles scribit *l. 4. H. A. c. 11.*

## PARTIS I. CAPUT XVI.

### Elephanti Antipathiam atque Hostes enumerat.

Quemadmodum nihil est ab omni parte beatum, atque omne animal suas patitur manes suosque habet adversarios: ita etiam cum Elephanto, utut maximo & formidabili bruto comparatum est, siquidem subinde suos habet Antagonistas, ut taceam venatores ipsi insidiantes: nam secundum Lucanum, nec tutus spatiò est Elephas, id est, magnitudine & vastitate corporis: & secundum illum sarcasmm Imperatori Maximino olim in ludo scenico objectum, referente Matth. Dressero in *Isagog. Histor. p. 372.* verum est: qui ab uno non potest occidi, occiditur à multis: Elephas

grandis est, & occiditur: Leo fortis est, & occiditur: Tigris crudelis est, & occiditur: Cavè multos, si singulos non times. Inimicitias enim alit cum Rhinocerote, leonibus, tigridibus, arietibus, porcis, serpentibus, muribus & draconibus: cum aliis etiam rebus singularem habet antipathiam, præsertim cum quibusdam coloribus & igne.

Timere naturali ductu Hominem supra ex Plinio diximus: imprimis valde formidat insidias hominis, quando catulos habet. Vid. W. Frantz. *Histor. an. p. 1. c. 4.* Elephas fertur vestigiò hominis animadverso prius quam homine, con-

tre-



tremiscere insidiarum metu, subsistere ac olfaciendo circumspicere, (hostem enim suum olfactu animadvertere dicitur,) iras proflare, nec cespitem, in quo vestigium observatum, pedibus calcare, sed erutum proximo tradere, illum sequenti, donec ad omnes pervenerit: & tunc agmen circumagitur aciesque dirigitur: adeo odorantur omnes illud virus ne nudorum quidem pedum, ut scribit Plinius *H. N. l. 8. c. 10.*

Inter ipsius hostes prima occupat subsellia Rhinoceros, qui secundum Martialem nunquam victus ab hoste redit, de quo Plinius *H. N. l. 8. c. 20.* ita scribit: in ludis Pompeji Magnivivus est Rhinoceros, alter hic genitus hostis Elephantum cornu ad saxa limato preparat se pugnae in dimicatione alvum maxime petens, quam scit esse molliorem, eaque perfossa facile superat Elephantum: longitudo ei par, crura longe breviora, color buxeus: reperitur in provincia Suchuen, juxta oppidum Po dictum hoc animal, ut & aliis locis, geritque internecinum dissidium cum Elephantum maximasque inimicitias, qua de re H. Cardanus *subtil. l. 10.* haec scribit: Hic est Indicus taurus corpus habens Elephantum ferme magnitudine, crura breviora, colorem buxum: totus testis quibusdam in modum clypei armatus est a Natura: in naris extremo juxta nominis sui significatum cornu gerit palmi longitudine & paulo majus, durissimum, firmissimum, rectum, atque praecutum, sed quod

versus frontem torquetur, quodque pugnaturus in saxo exacuit: sunt & quidam ex his, qui aliud exiguum cornu habent in tergore.

Referunt Anno Salutis 1513. delatum unum ad Lusitaniae Regem calendis Maji, quem Rex post biennium Ulyssiponae in spectaculo cum Elephantum pugnantem exhibuit populo, in quo certamine vicit Rhinoceros: adeo nihil natura voluit omnino ab incommodis esse tutum: nam Elephantum hic solus exagitat: dicunt quidam & serpentem: sed societas Elephantum reddit ab utroque tutum, nec periculo subjacet nisi cum causa aliqua a grege suo disjungitur. Rhinocerotem Pausanias vidit, agnovit & Plinius, non tamen Aristoteles. Haecenus Cardanus.

Damianus a Goes in encomio Hispaniae scribit: Certamini unius Elephantum cum Rhinocerote interfui: spectaculum erat admiratione dignum, in quo Elephas succubuit. Jovius vero in elogio Tristani Acunii sic scribit: ferunt, Rhinocerotem, cum ab Oceano Ulyssiponensi in portu exponeretur, aspectu atque odore suo Elephantum, qui tum erat in Regia, usque adeo truculenter terruisse, ut Elephas naturae miraculo praecipui sui hostis concepto incredibili pavore septum suae caevae ferreis ingentibus clathris munitum humerorum & capitis praecipiti impulsu perripuit, & in longam se proripiens fugam, terribilique barritu edito stridens & furens cuncta obvia prostraverit.

Rhinocerotem non visum in Italia multis jam seculis animal Romam suô tempore devectum scribit Joh. Petrus Maffejus *Histor. Indic. l. 5.* ut cum Elephanto commissus, quô cum implacabiles gerit inimicitias, veteris magnificentiæ spectaculum populo Romano repræsentaret: sed qui ab ultimis terrarum terminis in Europam incolumis venerat, ad Ligusticæ demum oræ scopulos factô naufragiô cum impeditus catenis enatare non posset, exoptatâ plebem urbanam oblectatione privavit.

Bellum hoc *ῥινοκερωδον* inter has belluas inde creditur oriri, quod Elephas Rhinoceroti pascua præripiat: itaque obviam sibi facti se invicem aggrediuntur accipiti pugnâ: Rhinoceros durâ pelle quasi loricâ armatus capite inclinatô suô acutissimô cornu Elephanti abdomen petit, eumque sic lethaliter vulneratum superat: interdum autem Elephas Rhinocerotem proboscide comprehensum strangulat & prosternit, suisque cornibus vulgò dentibus interimit: quamvis enim pellis Rhinocerotis eâ sit firmitate, ut ægrè jaculô penetrari queat, tamen tam violentus est Elephanti impetus, ut eam penetret & conficiat. *Ælianus l. c.*

Hanc pugnam eleganter describit Guilielmus Salustius hebdomados *l. 6.* in encomio Elephanti:

At non vis animi solers, non ossa, nec  
alti  
Membrorum nodi vaftris obsistere pos-  
sunt

Fraudibus, & cauti subitis insultibus  
hostis:

Hostis Rhinoceros, cui nunquam cæca  
ministrat

Arma furor, nec signa movet, quin an-  
te minacem

Exacuet narem scopulis obnixus acutis:  
Nec tum vana, ferox tergum impene-  
trabile tentat

Ictibus, at mollem teli quâ pervius ictus  
Sortitur sub ventre cutem, dein vulnere  
sævit.

Constat experientiâ teste, Rhinocerotem, licet longitudine Elephanto penè par sit, cruribus tamen multò brevioribus, naturâ armis offensivis & defensivis esse robustissimam belluam, sicut in spectaculis Romanis apparuit: imprimis in Domitiani nummis ejus forma impressa conspicitur, eô quod in theatrum populo Romano eam induxit, quâ de re Martialis ita:

Præstitit exhibitus totâ tibi Cæsar arenâ  
Quæ non præmisit prælia Rhino-  
ceros:

O quam terribiles exarsit pronus in iras,  
Quantus erat cornu, ceu pila taurus  
erat.

Et alibi:

Sollicitant pavidî dum Rhinocerota  
Magistri,

Seque diu magnæ colligit ira feræ:  
Namque gravem durô cornu sic extulit  
Ursum,

Jaçtat ut impositas taurus in astra  
pilas.

Rhinocerotes omnes mares esse Oppianus scribit, nec unquam fœminam conspici, ideòque fatetur, se ignorare, unde oriantur: ast diversô & ab aliorum animalium distincto

stinctō generationis modō illum generari haut credibile est.

Similiter cum Monocerote in arenam descendere creditur Elephas: animalis hujus existentiam multi in dubium vocant: non pauci autem secus sentiunt: inter quos Garzias ab Horto in *hisor. aromae. l. 1. c. 14.* refert sequentia: ex Viris fide dignis, inquit, accepi, inter promontorium bonæ spei & aliud promontorium vulgō de Currentes nuncupatum vidisse se affirmabant terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectetur, quod caput & jubam equi habuerit, (minimè tamen marinum fuisse,) cornu præditum duos palmos longō, mobili, quodque nunc in dextram nunc in sinistram obverterit, modō illud attulerit, modo demiserit: id animal, affirmabant, cum Elephanto ferociter præliari, ejusque cornu adversus venena laudari. Cum biforibus seu bobus sylvestribus & Uris etiam sæpè dimicare Elephantum Forerus scribit.

Assiduum cum serpentibus certamen Elephantis esse ex variis Scriptoribus tradit Pierius Hieroglyph. *l. 2.* Angues in Æthiopia Elephantos profligare, profligatosque dilaniare scribit Diodorus Siculus *l. 8. c. 37.* idem *l. 4.* refert, in desertis locis serpentes, qui cum Elephantis propter aquas pugnant, magnitudine numerōque admirabiles esse, complicant enim in corpus assurgentes annixique viribus Elephantorū crura, connectuntque pluribus spi-

ris adeō arctè summâque vi, ut spumantes bestias ad casum compellant: tum concursu factō bestias naturâ graves nec facilè mobiles depascuntur: omissis tandem Elephantis ad assuetos revertuntur pastus: dicunt, hos serpentes fugere loca campestria, habitare autem inter longas convalles in altis speluncis, nec facilè assuetos deserere locos, naturâ, quod cuique ad tutelam conferat, singula animalia docente. Elephantos ad potum venientes, ut Plinius ex Statiō Sebofo tradit in Gange fluviō Indiæ, vermes brachiis binis longissimi cœrulei, qui nomen, inquit, à facie traxerunt, mordicus comprehensâ manu eorum abstrahunt.

Apud Hesperios Æthiopes Leones Elephantorū catulos aggrediuntur, quos cum vulnerarunt, matribus supervenientibus aufugiunt, maximè enim timent Elephantos, præsertim irritatos & agminatim congregatos. Vid. Jonston. *Hist. natural. quadruped. p. m. 34.* Tigridem in caput Elephantis insilire, facilèque eundem suffocare, Arrianus author est: Tigridis cum tribus Elephantis pugnam abhinc paucis annis exhibuit Rex Siamensis Legato Regis Galliæ, in quâ una Tigris cum tribus Elephantis acerrimè dimicavit, proboscidum verò & cornuum robore tandem superata victoriam hostibus cessit. Canes Elephantos lacerare tradit Plinius *H. N. l. 8. c. 40.* Murem Pharaonis

seu Ægyptiacum, qui Ichneumon dicitur, Elephantum etiam invadere scribit Petrus Gillius in *descript. Elephanti*, ubi de illo hæc habet: nihil eò volucius, nihil animosius, ut maxima animalia invadere audeat, v. gr. Equos, camelos, Elephantos, serpentes maximos: ut nihil mirum sit, si invadit crocodilum dormientem & oscitantem. Sylvestres tauros etiam Elephanto infestos esse testatur Albertus.

Peculiarem etiam antipathiam habet cum ariete. Marti dicatus est Aries, præ aliis animalibus frontem habens robustam, Dux gregis cornu feriens, atque hoc pacto terrorem Elephanto incutiens. Gryphes cum aliis animalibus certare, contra Leones autem & Elephantos non stare scribit Ælianus: an autem Gryphes reperiantur in rerum natura multi dubitant, plurimi negant. Si feritate effertur Elephas, ad arietis conspectum statim pertimescit, mansuescit & mitescit. Joh. Ruellius *de nat. stirp. l. 1. cap. 22.* Hòc stratagemate usi sunt Romani, qui adductis arietibus Pyrrhi Regis Epirotarum Elephantos in fugam verterunt, victoriamque reportarant teste Volaterranò. Alii rerum naturalium scriptores asserunt, Elephantos nihil magis domare, quam agnos, quos pariter fugiunt: & sic vincit

Agni mansueti virtus, Elephasque superbus

Agnò conspectò definit esse ferox.

Vid. *Emblema. mor.* Joh. de Boria p. 187.

Maximè horrent hircum, quò conspectò ob naturæ & morum dissidium, procul dubio etiam fœtorem statim aufugiunt, ut & Cerastem seu serpentem cornigerum: item porcum, cujus minimò stridore & grunnitu terrentur, territique retrocedunt. Elephantos porcina vox terret, inquit Seneca *lib. de ira*: imò recens natorum porcellorum clamor illis terrorem incutit, non secus ac generosioribus equis, præsertim Scythicis ruditus asinorum, quem admodum horrent: & hoc fit non tam ob metum, quam odium porcorum, quod enim oderunt, eòdem terrentur, imprimis ob absolum vocis acumen. Plura de his vide apud Plinium, *l. c.* Ælianum *H. A. l. 16. c. 36.* ut & Strabonem & Ruellium.

Hujus rei memorabile exemplum habetur in rebus gestis Megarensium: cum enim Antipater magnum numerum Elephantorum armatis militibus instructissimorum contra ipsos duxisset, ipsi integrum gregem porcorum incensâ pice oblitorum Elephantis opposuere: cum igitur in mediâ pugnâ porci vehementer percussi, & igne flagrantés valde grunnirent, & discurrerent, totum agmen Elephantorum cum insidentibus militibus in fugam versum est. Nihil enim Elephanto magis infestum est, quam sus, Vid. Scaliger *exercitation. 199. 6.* Verum allegatis Authoribus contradicit Garzias ab Horto *Histor. aromat. l. 1. cap. 14.* imprimis reprehendens

Quanta fides eorum in Dominos, quam usque ad extremum Spiritum pro iis pugnent, satis claret vel ex unô illô Elephantô Pori Indiarum Regis, de quo Plutarchus librô *de solert. animal.* ita scribit: Porô Indorum Rege vulneribus confectô, Elephantum sensim ac leniter multa spicula promus de extraxisse, & ipsum jam malè affectum non prius tamen procubuisse, quam sentiret Regem ex sanguinem delabi: tum demum, ne corrueret, paulatim se demisisse, ut Rex commodius se ad terram inclinare posset.

Trita & nota historia est illius, qui Aristophani Grammatico præbuit se corrivalem, narrata à Plinio & Plutarchô in libellô *πότερα τῶν ζώων* &c.

Mulieris enim formâ hoc animal capitur, & quasi hebescens ad ejus pulchritudinem remittit furorem secundum Ælianus: libidinoso amore ardet in sexum humanum fœmininum, ut scribit Alstedius *encycl. ad. l. 7. c. 5.* modo dictus Aristophanes Alexandria in Ægypto deperibat quandam Corollariam, quam pariter amabat Elephas: uterque studebat placere suæ amasiæ omnibus modis: nec minus studii aut ingenii fuit Elephantô ad declarandam & mitigandam amoris flammam, quam illi literato viro: forum, in quo ea desidebat, non desisteat Elephas crebrô adire, mulieri assistere, suspirare, poma aut flores afferre, proboscidem in sinum ingerere eâque mammillas blandè palpare & contrectare, & nihil omit-

tere, quod fortè faceret Venerens aliquis nepos.

Similem historiam Ælianus refert *lib. 7. cap. 43.* atque ex eo J. Lipsius *l. c.* In Antiochia Syriæ urbe Elephas inter cicures in ore suo ad partum vadens vidit fortè mulierem haut inscitam, pariter Corollariam: vidit: periit: assiduus ille apud eam, promuscide faciem & manus lambere, tergere, & quomodocunque poterat blandiri, seque insinuare: quin & illa redamavit, corollas & flores aliasque amoris illecebras sæpè offerens; cum perseverasset diu mutuus hic amor, mulier, ecce! morbô sublata abiit ad plures: Elephas hujus desiderium non tulit, nec ultra mentis suæ compos ob amasiam amissam versus est in furorem, perinde ac homines mœrore laborantes ex potestate animi exeunt. Ab alio unguentariam quandam forma præstantem fuisse dilectam Juba tradit: constantis amoris fuerunt argumenta gaudium à conspectu, blanditiæque inconditæ, stipesque, quas populus dedisset, servatæ & in sinum effusæ. V. Plin. *l. 8. c. 5.*

De Rhinocerote idem narratur, quod eleganter exprimit Poëta hujus seculi famigeratissimus J. Rempenius, Professor Helmstadiensis in deliciis Parnassi sequenti metrô:

Aut velut torpens rabies residit,  
Virginis vultus ubi forte vidit,  
Et cadit robur furis remotis

Rhinocerotis.

Formosos homines utriusque  
sexus depereunt, quibus orbat

A a

maxima



maximâ tristitiâ afficiuntur: Me-  
 nandrum Syracusanum quendam  
 tantopere amavit Elephas, ut ejus  
 desiderium, quoties ipsum non vi-  
 deret, inediâ contestaretur: id quod  
 de quodam juvene in exercitu Pto-  
 lomæi militante etiam Plinius refert  
*l. 8. c. 5.* Infantes etiam & pueros  
 efflictim amant: cujus honesti ac  
 fidi amoris exemplum legimus apud  
 Athenæum *l. 13. cap. 30.* Ælia-  
 num *libro 10. cap. 14.* Antigono  
 Regi Elephas fœmina fuit, evenit  
 autem, ut in obsidione oppidi Me-  
 garenfis puerum pareret uxor Indi  
 Elephantistæ: is suâ linguâ com-  
 mendat infantem inter bellicas tur-  
 bas Elephanto, cui nomen fuit  
 Niceæ: capit is hæc serîo in fidem,  
 & omnia officia exhibet, quæ piissi-  
 ma aliqua mater sive nutrix: infans  
 ante pedes ejus deponi debebat,  
 nisi id fieret, cibum non capere,  
 iram & dolorem omnibus signis  
 ostendere: gaudere contra eô ad-  
 jacente, & tum cunas movere ad  
 oblectandum aut somnum conci-  
 liandum: tum ventilare & pellere  
 muscas, quod faciebat sanè scitè,  
 arundinis ramum promuscide suâ  
 motitans: atque eadem officia  
 interdum etiam deferebat infanti  
 Elephas maritus. Athenæus *l. c.*  
 de aliô quôdam narrat, quod in-  
 fantem tenerum cibo saturatum  
 juxta crura sua positum blandè tra-  
 ctaverit, muscas dormienti abege-  
 rit, & plorantis cunas proboscide  
 agitaverit.

Elephantos quosdam suos sesso-

res in prælio excussos contra vim  
 hostium tutatos esse, seque pro illis  
 morti objecisse compertum est: non-  
 nulli sublato ex prælio extulerunt  
 ad sepulturam, ut scribit Arrianus:  
 quidam aurigas suos in conflictu  
 vulneratos & sanguine exhaustos  
 expugna sublato eripuerunt ac ser-  
 varunt: fuere, qui defenderint eos,  
 qui in pugna anteriores pedes Ele-  
 phanti pro refugio & asylo petie-  
 rant.

Cum Pyrrhus Epirotarum Rex  
 ad Argos occubisset, fuit in eo  
 conflictu Elephantus, qui sessorum  
 suum tantopere amabat, ut non  
 prius, licet Auriga seu Elephantago-  
 gus jam cecidisset, currere omi-  
 ferit, quam suum nutritium ex  
 hostibus ereptum servasset, & in  
 loca tuta asportasset.

Memorable exemplum de fero  
 Elephanto insignis magnitudinis  
 refert Justinus *lib. 15. cap. 4.* quod  
 Sandrochetto bellum adversus Ale-  
 xandri Magni præfectos molienti  
 ultrò se obtulerit, eumque tergo  
 exceperit repente mansuefactus &  
 postea strenuus bellator & prælia-  
 tor.

Sæpè conspectô homine secedit  
 ad latus, quasi ipsum fugeret, ne  
 homo conspectâ tam vastâ bestiâ  
 nimium sibi metuat: mox redit, &  
 conveniente quodam nutu quasi  
 eum salutatur: modò præcedit eum,  
 modò sequitur, & sic homini obvio  
 erranti clemens & placidus mon-  
 strat veram viam. Vid. Ælian. *H.*  
*A. cap. 8. l. 17.* & W. Franz, *H. A.*